PETRUS FRANCISCUS MORALI

DEI ET S. APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA

ARCHIEPISCOPUS FLORENTINUS

SS. DOMINI NOSTRI PII PAPÆ VII.

PRÆLATUS DOMESTICUS, PONTIFICIO SOLIO ASSISTENS, ET SACRI ROMANI IMPERII PRINCEPS.

Venerabilibus Fratribus, Dilectis Filiis, Capitulo, Clero, Populoque Civitatis, et Diœcesis Florentinæ, Salutem, et Benedictionem in Domino.



S E N I S 1815.

EXCUDEBAT JOANNES ROSSI, PRAESIDIBUS ADNUENTIBUS.

Præclaris Clementissimi Dei beneficiis, quibus secundum multitudinem miserationum suarum, et universæ Christianæ Plebi, et fideli Etruriæ consuluit, illud deerat, Venerabiles Fratres, et Filii Dilectissimi, ut vidua Florentina Ecclesia, quæ sedens, ac gemens salutare Dei cum silentio præstolabatur, susciperet tandem misericordiam Ejus in medio Templi sui, et provido Pastore ducente in loco pascuæ confirmaretur.

Veruntamen, quam investigabiles sunt viæ Domini! Dum vidua moerore confecta virum illum expectabat, qui Moysis prudentia, Davidis zelo, Salomonis sapientia instructus, contrictiones ejus alligaret, qui DD. Zenobii, et Antonini sanctitate præditus, magna daret exempla populo suo, qui et Francisci Cajetani Incontri, et Antonii Martini pietate, et doctrina pollens, tenebrarum potestates disperderet, dum virum illum vidua Florentina Ecclesia expectabat; Omnipotentis Dei judicio, qui ludens in Orbe Terrarum infirmiora eligit, ut fortia confundat, audivi Fratres, et Filii Dilectissimi, vocationem meam, et humiliatus sum.

In excessu infirmitatis meæ, quis sum ego Domine, dixi, et cur suscitasti egenum de pulvere, ut pasceret populum tuum? Cur suscitasti egenum meritis, egenum sanctitate, egenum consiliis, egenum doctrina?

Sed tandem probe memor, Dei ordinationi sine evidenti damnationis periculo resisti non posse, in ipso humilitatis excessu ad meipsum conversus, quare tristis, ajebam, es anima mea, et quare conturbas me? Spera in Deo, viriliter age, et substine Dominum. Spera in Deo qui dignos facit ex indignis, qui vocat ea, quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt, qui potens est de lapidibus suscitare filios Abraham, cujus tanta est virtus, ut omnia possis in Domino Jesu Christo, qui te confortavit.

Hac spe dulcissima roboratus, quam augent et Sum-

mi Pontificis PII VII. invicta constantia, et providentissimi Principis FERDINANDI III. spectata Religio, et Praedecessorum Antistitum, qui Florentinam Sedem tanta gloria illustrarunt, maxima exempla, et Cooperatorum in Mystica Jesu Christi vinea laborantium laudabilis zelus, et Florentinorum pietas ubique perspecta, en ad Vos venio, Venerabiles Fratres, et Filii carissimi, ut annuntiem Vobis verba salutis, et pacis in portis filiæ Sion.

Venio ad Vos in nomine Domini, ut annuntiem Vobis verba salutis. Mementote, Fratres, et filii dilectissimi, Salvatorem nostrum nos omnes redemisse pretioso Sanguine suo, ut tamquam cohæredibus ipsius nobis omnibus aeternitatis aditum devicta morte reseraret. Satagite ergo, ne invacuum gratiam Dei recepisse dicamini. Fidem tenete, non eam quæ sine operibus otiosa est, sed eam, quæ vincit Mundum, erudiens nos, ut abnegantes impietatem, et sæcularia desideria, sobrie, et juste, et pie vivamus in hoc sæculo. Qui ex vobis justus est, justificetur adhuc per patientiam et longanimitatem; per dilectionem, et Caritatem, per beatam illam perseverantiam, in qua sola sitam esse aeternæ salvationis, et immarcescibilis coronæ spem Suprema Dei consilia statuerunt. Qui adhuc in sordibus est, heu! sapiat aliquando, en recogitet corde, quæ mala capient eum in interitu, nisi citò derelinquat viam suam, et convertatur ad Dominum, qui cor contritum, et humiliatum numquam despiciet, qui multus est ad ignoscendum. Speravit insipiens, si a Deo recessisset, se aliquid melius habiturum: nunc sciat, et videat, quam malum, et amarum sit dereliquisse Dominum Deum suum: nunc cogitet, quem fructum habuerit in iis, in quibus tandem aliquando erubescet: nunc intelligat, fecisse nos Dominum ad se, et inquietum esse cor nostrum donec requiescat in Eo.

Venio ad Vos ut annuntiem Vobis verba pacis, non illius, quæ mundi est, sed ejus, quæ descendit a Patre

luminum, et Deo totius consolationis. Omnes nos, Fratres, et Filii Carissimi, Christi membra sumus, omnes sub uno capite militantes, omnes eodem regenerationis lavacro redempti, omnes ad eamdem futuræ beatitudinis gloriam vocati. Quæ sunt ergo contentiones, quas maximo animi angore audivi fuisse inter Vos? Quis ex Vobis dicere audebit, ego sum Pauli, ego sum Cephae, cum omnes unum esse debeamus in Christo Domino Deo nostro? Eja igitur, per viscera misericordiae ipsius, per quem salvati, et liberati sumus, vos hortor, Fratres, et Filii Dilectissimi, ut praeteritorum temporum vicibus, et omni memoria discordiarum sempiterna oblivione deletis, id efficiatis, ut cognoscant omnes, quia et filii lucis, et discipuli Dei estis, quoniam dilectionem habeatis ad invicem. Pax Christi exultet in cordibus vestris, in qua vocati estis in uno corpore.

Hæc in ipso meæ vocationis exordio universis, qui in Florentina Ecclesia sunt Christifidelibus, præfari opportunum duxi, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus, et veritatis.

Verum, ne Pastoris infirmitate detrimenti aliquid in Gregem redundet, fidem, Religionem, doctrinam, sapientiam vestram, enixis precibus oro, obtestorque, Venerabiles Fratres, et Adjutores mei, qui sacrum Florentinæ Ecclesiæ senatum constituitis, quos suspicio tamquam Seniores illos, quibus usus est Moyses in solitudine campestri non valens solus tanta negocia sustinere, vos inquam oro, obtestorque, ut quo plurimum polletis zelo, consilio, prudentia, et doctrina, in tanta necessitate me nunquam deseratis.

Vos oro, obtestorque Parochialium Ecclesiarum Rectores, sedentes custodes super muros Jerusalem, dispensatores Mysteriorum Dei, ut in partem ministerii nostri assumpti, verbis, exemplo, sollicitudine, oves vestras, quæ et nostrae sunt, tali salutari cibo nunquam deficiente cura pascatis, ut super aquam refectionis educatæ, fide

non ficta, et caritate ferventi, bonis operibus perpetuo abundent in nomine Domini Jesu Christi, qui pro illis posuit animam suam.

Vos itidem oro, obtestorque, Sacerdotes omnes, et Clerici, ut sic luceat lux vestra coram hominibus, qualis decet eos, qui in sortem Domini vocati, et segregati in Evangelium Christi, supra montem positi conspiciuntur.

Ad has obsecrationes toto pectore effusas, quas addam, ut Vos alloquar, utriusque sexus Regularis vitæ Professores, quarum aliquos maxima exultatione ad Turrim Jerusalem, et locum munitum, ad Hortum conclusum et fontem signatum reversos scio, alios in amaritudine animæ meæ, tamquam dispersos lapides sanctuarii, in capite platearum conspicio? En Filii dilectissimi, en Filiæ in Christo carissimæ, en petra probationis vestrae. Sive enim vos excipiat domus refugii, sive inveniamini in Ephrata, seu degatis in Claustris, seu moremini in campis sylvae, tenete propositum fidei, religionis, continentiae, quod spopondistis Deo immutabili, Christo Jesu, qui est hodie qui fuit heri, Spiritui Sancto, cujus admiranda quidem, sed minime investiganda consilia, aut tempori alligare, aut loco circumscribere nefas. Vota vestra Domino vovistis: vota vestra Domino reddite, et in abscondito Tabernaculi sui, et in conspectu omnis populi ejus. Discant qui versantur in mundo, vos sive secretos a mundo, sive in mundo viventes, non amplius mundi esse, non amplius quae sunt mundi quaerere, et mundus ipse vestris exemplis incitatus ad gratiam, glorificet Dominum, qui fecit vobiscum misericordiam suam.

Haec sunt, Venerabiles, et dilecti Fratres, haec sunt, Filii omnes in Christo carissimi, verba salutis, et pacis, verba consilii, et exhortationis, verba dilectionis, et charitatis, quae Pastor vester adhuc absens mitto ad vos in nomine Domini Jesu Christi.

Orate interim misericordiam Ejus, quae numquam defe-

cit, et numquam de futura est, ut meritis Beatissimae Virginis, cujus tanta est in Florentina Diœcesi veneratio, ut praecibus DD. Zenobii, et Antonini, et omnium Sanctorum servet incolumem Ecclesiae suae Sanctae Maximum illum Pontificem, quem Deus ipse sibi elegit juxta cor suum, servet Etruriae piissimum Principem, quem votis ejus restituit in die miserationis suae, augeat in vobis fidei, spei, et charitatis Thesauros, ratamque habeat in Coelis Pastoris vestri Benedictionem, quam vobis nomine ipsius amantissime impertior in terris, quaeque aptet vos in omni bono, ut impleamini agnitione voluntatis Ejus in omni sapientia, et intellectu: Amen.

Datum Romae extra portam Flaminiam Idib. Martii 1815.

PETRUS FRANCISCUS ARCHIEPISCOPUS FLORENTINUS

Julianus Boninsegni Secretarius de Mandato.